ACTII SYNCERI SANNAZARII DE MORTE CHRISTI

Domini, ad mortales Lamentatio, Danielis Augèntij annotationibus illustrata.

Ad Antonium Oliuarium Lumbariensem Episcopum.





PARISIIS,

Apud Ægidium Gorbinum, ſub inſigni Spei, propè Collegium Cameracenſe.

1557.

DANIEL AVGENTIVS ad pium Lectorem.

SI Brutos Deciósque iuuat legisse cadentes,
Dum reddunt patriæ libera signa suæ:
Quàm te iuuerit hoc, Lector, nouisse libello,
Illum qui voluit, ne moriare, mori
CHRISTVS is est tibi qui moriens de morte triumphat,
CHRISTVS is est per quem vita recepta tibi est.
Ergo age ne pigeat breuiter legisse, receptæ
Quo vitæ à letho nobile pignus habes.



OPTIMO ATQVE CLARISS. viro D. Antonio Oliuario, Episcopo Lumbarienſi, Daniel Augentius S. P. D.



Vm ex fratre nepotis tui optimæ indolis & magnæ expectationis pueri curam amplißimus prudentißimusq; eius pater mihi commiſißet, ornatißime Præſul, oblitus commodorum meorum toto pectore hoc vnum dies noctesq; conabar, vt illum ad pietatem verámque religionem inſtituerem, ad virtutem & ingenuas bonarum artium diſciplinas docendo cohortarer atque inflammarem. Nam vt ait ille, cùm ad naturam eximiam & illuſtrem accesſerit ratio quædã conformatióque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere. Itaque ex optimis quibuſque autoribus ea excerpebam, vnde pulcherrimarum rerum cognitionẽ ad iudicandum de ciuilibus moribus & ad parandam prudentiam neceſſariam, facilè ediſceret, ingentémque ſelectißimorum verborum copiam ad dicendum de qualibet re vti- Cicer. in orat. pro Archia.



lem, sibi compararet. Sic factum est, vt (si quod à grauioribus studiis & maioribus occupationibus liberum mihi tempus dabatur) breuem hanc Sannazarij Lamentationem, in qua Seruatoris nostri IESV CHRISTI mortui imago cernitur, eiusdémque de partu Virginis libros peracri ac perpolito iudicio conscriptos, multiplicíque optimarum rerum cognitione refertos, illi explicarem, vt in vera pietate ac fide animus eius magis magísque instrueretur & confirmaretur. In illos libros cùm anno superiore annotationes quasdam scripsissem, statim efflagitare multi à me cæperunt (qui apud me plurimum ad persuadendum valebant) vt eas cum studiosis omnibus cõmunicarem. Quorum honestæ petitioni, cùm illi acrius instarent, diutius refragari non potui, sed placuit quæ breuius & ἀμαθέστερον ϗ παχύτερον inter legendum discipulo tradideram, nunc copiosius quodammodo retractata ac diligentius introspecta, ad vsum iuuentutis emittere, tibíque nuncupare. Accipe igitur placido vultu, clarissime Præsul, hanc mei erga te animi significationem, & tuo patrocinio præstantissimo ab iniuria & calumnia sycophantarum tuere & conserua. Quod si pro tua singulari humanitate, vt spero, feceris, & musæ meæ Charites tuæ arriserint, ad maxima atque innumerabilia tua erga me officia & merita non mediocrem accessisse cumulum existimabo. Vale. Lutetiæ, Cal. Martiis, anno salutis humanæ, Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto.

ARGVMENTVM.



VM lectio Christiani sit passionis Domini recordatio, iuxta illud Pauli, Vnum scio Iesum Christum & hunc crucifixum, quod est omnia scire, hoc carmine parænetico adhortatur poëta vnumquenque ad passionis Dominicæ meditationem: suadétque vt relictis fabularum lenociniis ac ludicris nugis, ad rerum cōtemplationem meliorum animum aduertamus. Ea autem est quam Ieremias describit, Qui, inquit, gloriatur, in hoc glorietur quòd nouerit me, quoniã ego sum Dominus, qui misericordiam, iustitiã, & iudicium facio in terra. Hæc itaque summatim quæstio proponatur, Omnes homines debent obseruantia sempiterna tanti beneficij memoriam colere, quo à Satanæ tyrannide liberatum est genus humanum, anniuersarióque luctu prosequi supplicio salutari affectum, hoc præsertim die τῶν σωτηρίων. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, qui exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, vt ait Paulus, relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius. Arguméta autem quibus generalis illa quæstio disputatur, plurimum ad eam concludendam valent. Nam mortuus is est cuius Prouidentia cuncta reguntur: vnde elementa etiam ipsa suum testantur dolorem, cùm his muneribus nō funguntur, ad quæ obeunda sunt creata: tum si mortem recusasset, crucis supplicium omnes pertulissemus. Hinc enim ratiocinamur, quàm horrenda res sit peccatum, quàm misera seruitus mancipium esse Satanæ, quam metuenda ira Dei, quanta Dei charitas erga genus humanũ, quod tã admirabili ratione seruare voluit: deinde cũ eo surrexim⁹, vt tãdẽ cœli habitatores essemus. Quare eum omnes adire debẽt, parareque Deo animos suos, cùm illud vnum à nobis postulet, vt tanti beneficij

1. Cor. 2.

Cap. 9.

Ad Phil. 2.

1. Petri. 2.

memores agnoſcamus cui rei nati ſimus, nēpe vt cogno-ſcamus, timeamus, amemúſque Cōditorem noſtrum. Hic porro videre licet quibus locis vti cōueniat, quos item reiicere in laude Ieſu Chriſti. Imprimis ſi quis Deum Opt. Max. laudare velit, vtatur his locis, quibus & præeunte diuino ſpiritu vates illi priſci ſunt vſi; quibus & poſteri, qui autore Euſebio hymnos Deo omnipotenti concinebant: Exod. 15. teſtantúrque literæ ſacræ Moſen trāſmiſſo mari ora potitum, hymnū ſeruatori Deo pronunciaſſe, hexametro verſu ſcriptum: quo agit gratias Deo ob victoriam aduerſus Gen. 33. Pharaonem: & de Iacobo non ſilent qui in idem ſtudium non ſemel incubuerit. Primus ergo locus erit maieſtas naturæ, quā non aliunde quàm ex ſacris literis haurias. Proximus eius continet in nos beneficia, ob quæ totos nos illi debemus. Incipe ab orbis cōſtitutione, percurre tempora, ſigna, myſteria, obrueris laudum copia, ſelige eam partem laudis quæ ad eum diem erit aptiſsima. In hoc genere ſunt Cantica quæ vocantur penè omnia. Et his duobus capitibus Dei laudem optimè contexes, quòd Deus laude noſtra non eget, eam tamen pro obſequio accipit. Quoties iuſtitiam bonitatémque Dei fulminat Paulus? Quoties charitatem in omnes mortales Ioannes? Ita pro commodo argumenti laudum infinitarum eam partem attinges quæ ad rem maximè pertinebit. Quod hac Lamentatione doctiſsimè facit Sannazarius, quo nemo copioſius, nemo acutius, nemo abſolutius, quodcunque ſuſcepit tractat. Hæc ſummatim: nunc particulas ſigillatim perſequamur & diſcutiamus.



ACTII SYNCERI SANNAzarij De morte Christi Domini, ad mortales Lamentatio.

SI quando, magnum mirati surgere Solem
Oceano, & toto flammas diffundere cælo:
Certatímque suo terras ambire meatu
Noctiuagã Phœbẽ præcinctã cornibus aureis:
A Eternósque astrorum igneis, cælique micanteis
Scintillare oculos: aliquem dare iura putastis,
Atque polo regnare hominum, rerúmque parentem:
Cui mare, cui tellus, cui pareat arduus æther,
Cuncta supercilio qui temperet: hunc simul ægri
Mortales (si vestra dolor præcordia tangit)
Aspicite immiti traiectum pectora ferro,
Pectora, fœdatásque manus, perfusáque tabo
Ora, cruentatúmque caput, crineísque reuulsos:
Aspicite, & plenos lacrymarum fundite riuos.

SI QVANDO) Exorditur per locum attentionis à magnitudine eius qui passus est: & ex causis colligit rationem, qua primum adducti fuerint homines vt Deum putarent. Magnum) Sol, inquit Cic. de Nat. Deorum 2. dictus est, vel quia solus ex omnibus syderibus est tantus: vel quia cùm exortus est, obscuratis cæteris syderibus solus apparet. Dicit autẽ hic magnum Solem quòd sit maior tota terra duodeuiginti partibus, vt ait in Academicis Cic. vel vt Ptolemæus in magna constructione, centies sexagies sexies, quæ magnitudo admirabilis nobis videri debet, reputãtibus quantitatem eius oculorum nostrorum indicio pedalem aut bipedalem duntaxat esse, quod Epicurus cen-

sebat sensu deceptus. Præclaras Solis laudes vide apud Plin. lib. 2. c. 6. & Cic. in Somnio Scipionis. Oceano) Poëtico more hoc, quia fingunt poëtæ pro Occidente Solem immergi Oceano, pro Oriente surgere. Virg. primo Georgic.

Sol quoque & exoriens, & cùm se condet in vndas.

Hîc autē Oceanum pro quocunque mari vsurpat, vt Virg. Æneid. 2.

—— & ruit oceano nox.

Est porrò Oceanus mare magnum quod totum terrarum orbem veluti insulam circunfundit: à fabulosa velocitate & rapido æstu nomen habens. ab ἀ particula priuante, & κέω quod χίζω significat, id est, diffindo Suidas deducit, quasi minimè diffisum sed perpetuum sit. Solinus & Seruius à nomine ὠκὺς, id est, celer, propter fluctus quibus asperum se & innauigabile redderet. Hinc fabula de columnis Herculis Calpe & Abyla, quas tantus impetus Oceani perfractis quasi terræ vinculis effecisset. Plato falsò creditæ asperitatis & velocitatis in Oceano caussam aliam in Timæo reddit de Atlantica insula, quæ ingenti quodam motu terræ in aquas demersa pelagus illud innauigabile fecerit. Meatu) Sic. Lactan. libro 3. Videbant syderum cursus in occasum meantium, id est, euntiū. &, —— Solis cursus, lunǽque meatus. Lucret. lib. 5. Dicit ergo lunam pro viribus contendere vt noctis tenebras illustret. Solem quoque radios immittere per cœlum vniuersum, ídque prouidentia Diuina: nam ascendente Sole ad superius hemisphærium tenebræ noctis fugantur, & efficitur dies. Cornibus) Cornua lunæ tribuuntur. Sic Ouid. 1. Metamor.

Nec noua crescendo reparabat cornua Phœbe.

& Virg. 3. Æneid.

Tertia iam lunæ se cornua lumine complent.

Luna autem per se est opaca, nec suapte natura splendet, sed à sole illuminatur. Cùm igitur est in coniunctione cum sole, radij solares non possunt corpus lunare propter densitatem penetrare, itáque prorsus nō cernitur. Nam tertio die post coniunctionem digressa à sole luna, radium ex obliquo recipit: vnde principio μηνοειδὴς, id est, corniculata seu falcata: postea verò longius à sole discedit, & διχότομος, id est, dimidiata apparet. Cùm autem eousque peruenit, vt radios solis ex aduerso recipiat, πανσέληνος, id est, plena conspicitur. Denique eodem modo rursus decre-

scit, do-

scit, donec ad coniunctionem iterum peruenerit, quam interlunium seu nouilunium nostri, Græci σύνοδον appellant. Has lunæ varias vices Pontanus his versibus describit,

— quantúmque ab Apollinis igne recedit,
Hoc magis ipsa suum fundit mortalibus ignem:
Cornibus auratis primùm, mox fronte refulget
Iam media, medium cœli dimensa volumen.
Atque hinc obliquos vultus, turgentiáque ora
Nocte refert, tandémque vago digressa meatu
Exurgit solem contra, plenóque coruscam
Orbe comam, & fuluo totum caput explicat auro.

Scintillare) Oculos metaphoricè dixit, & scintillare, habita ratione quòd ignes dixerat, vt apud Virgil. 3. Aeneid. astrorum ignes dicuntur pro luminibus. Dare iura) Dare iura est præscribere leges, Virg. Aeneid. 1. Iura dabat, legésque viris. Nullus porrò fuit tam barbarus, cuius animo quædam de Diis opinio non insideret, vt ait Cic. de Nat. Deor. & 1. Quæstione Tusculana, Vt porro, inquit, firmissimum hoc afferri videatur, cur Deos esse credamus, quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio, &c. Præclarè certè Aristoteles inquit, & à M. Tullio est repetitum, si essent homines qui sub terra semper habitauissent, & deinde repente euadere in hæc loca quæ nos incolimus, atque exire potuissent, pulchritudine mundi cursibúsque stellarum ordinatissimis conspectis, profectò & esse Deos, & hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur. Lactantius quoque neminem ait esse tam rudem, tam efferis moribus, qui non oculos suos in cœlum tollens esse intelligat aliquam Dei prouidentiam, qua regatur hoc omne quod cernitur. Malè certè, vt ait Augustin. viuitur, si de Deo non bene creditur. Cui mare) Amplificatio potestatis, per solutionem & repetitionem. Cuncta supercilio) Piè hoc & religiosè, contra impiam & fœdissimam Epicureorum opinionem, existimantium Deum non curare res humanas, quia indignum videretur Dei maiestatem tam tristibus & humilibus occupatam esse negotiis, sed omnia ex fortunæ arbitrio atque cæco hominum consilio pendère, non regi diuina Prouidentia. Boëtius metro. 5. lib. 1.

O stelliferi conditor orbis

Qui perpetuo nexus solio
Rapido cœlum turbine versas.
Legémque pati sydera cogis:
Tu frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breuiore mora:
Tu cum feruida venerit æstus
Agiles noctis diuidis horas
Tua vis varium temperat annum.
Sic Horat. Ode 1. lib. 3. Carminum,
Cuncta supercilio mouentis.

Tẽperat ergo Deus cuncta supercilio, id est, omnia suo ordine ac mensura administrat, nutu, grauitate, arbitrióq; suo regit, vt Virg. 9. Aen.
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Supercilia autem propriè pars in ima fronte supra oculos, pilis vestita, Græcè ὀφρύες. Supercilia, ait Plin. lib. 11. c. 37. homini & pariter & alternè mobilia, & in iis pars animi: negamus, annuimus. Simpliciter ipsum supercilium pro fastu & arrogantia ponitur. Cæterum quod ait Plin. superciliis annuere nos atque renuere, Homerum secutus est, apud quem versus hic aliquoties legitur,
ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων   i.
Sic ait, atque superciliis Pater annuit atris.
Aspicite) Amplificatio crudelitatis, ex enumeratione partium, vbi geminatio verbi exprimit affectum. Ponitur autem traiectum pectora σωνεκδοχικῶς*. pro eo quod est, traiectum habentem pectus ferro immiti, vbi est translatio ab animali ad inanimal: ferrum enim non immite est, sed homines ferro vtentes. Tabo) Virg. Aenied. 3.*
Et terram tabo maculant, vbi Seruius dicit esse tantùm septimi casus, vt sponte, natu, significaréque corrupto sanguine. Alij dicunt nomen esse δίπτωτον*, id est, duorum casuum, & tabi, & tabo, solum inueniri. Significat autem hìc, liuore quo sanati sumus, vt est 1. Petr. 2. Christum porrò toto corpore flagris contusum vulneribúsque confectum figurauit Iob, capite 11. A planta pedis vsque ad verticem capitis exulceratus saniéque perfusus, & nos reputauimus eum quasi leprosum, & à Deo percußum & humiliatum, & vt ait Greg. Theologus,*
Λ'πιοαι τὸν ἐμπνέοντα τοῖς ζῶσι νεκρόν.

Plenos lacrymarum) Periphrasis lacrymarum vberrimarum cum translatione.

Heu scelus, heu crudele nephas: iacet altus Olympi
Rector, & amisso torpent elementa magistro.
Quin etiam vacuum assueto sine pondere cœlum
Nutat, & ipsa suum quærunt solia aurea Regem:
Quem diuersa procul sæuo cum crimine tellus
Ignotum populis caput, & miserabile corpus
Sustinet, exangueísque sinu complectitur artus,
Et tremefacta, graueis testatur murmure questus.
Testatur Sol ipse suum sub nube dolorem
Iam latitans, atráque notans ferrugine frontem.
Tu quoque deformeísque genas, pallentiáque ora
Contegis, inferiásque tuo das Luna Tonanti,
Auratum flauo tondens de vertice crinem,
Et lacrymas vda fundens in nocte tepenteis.

HEV SCELVS) Erumpit in indignationem, amplificatione earum rerum quæ magnæ sunt natura, & ex persona Christi, sic, Omnium rerum principia, ex quibus cætera originem sumunt (sic enim exponit, D. Hieronymus in comment. in epistolam Pauli ad Hebræos) mortuo suo rectore pigrescunt, tanquam spoliata magistro, vt loquitur Virgil. in 5. Torpent autem est βλακεύειν, ἀναισθήτως ἔχειν, ἀργεῖν. Salust. Incultu atque socordia ingenium torpescit, deuient lasche. μεταφορικῶς ergo hic capitur. Cæterum Olympus dicitur quasi ὁλολαμπής. i. ὅλος λαμπρός, totus fulgens, quia Solem clarum habet, nullísque vnquam nubibus fuscatur. Vacuum) Demissus est Christus in terras è cœlo, unde cœlum ipsum iam minatur ruinam, νευστάζει. Nutat) Metaphora est à motu capitis, quod inclinando affirmare & negare solemus. Quem diuersa) Commiseratio à commutatione primæ fortunæ & dignitatis. Crimine) Flagitiis enim obruta erat terra post lapsum primi parentis. Ignotum) Sui enim eum non receperunt, Ioan. 1. Lactan. de Pass. Dom.

——nec requiem terrarum in finibus vſquam
Inueni, ſed vbique minas, ſed vbique labores.

Sinu) Terra poëtis tanquam mulier fingitur. Lucretius libro primo, In gremium matris terraï præcipitauit. Exangues artus) αἵματα τὰ μέλη. Et trem:facta) Amplificatio ex his quæ natura magna ſunt, vbi ſenſus tribuitur inanimatis, ſic, Tremore concuſſa terra, teſtatur horrendos ſuos fletus. Eſt autem propriè murmur lenis aquæ ſtrepitus, licet pro alio quocúnque ſtrepitu poni conſueuerit.

Teſtatur) Repetitio ad amplificationem, Sol ipſe qui cùm exortus eſt obſcuratis aliis ſyderibus ſolus apparet, teſtatur ſuum dolorem. Præterea ſi Moyſe manum ſuam in cœlum extendente, Exod. 10. tenebræ horribiles operuerunt terram Aegypti, ita vt per triduum nemo alterum videre aut ſe mouere de loco in quo erat potuerit, Sap. 17. & 18.
Ioſuë 10. Si Ioſuë iubēte ſol et luna refrenato curſu donec ille fugientē proſterneret hoſtem perſtiterunt. Eſa. 28. ipſum tunc diem multò longius quàm aliàs ſolent protrahentes, Eccleſiaſtici 46. Si reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus per quos deſcenderat in ſignum protelatæ vitæ regis Ezechiæ cùm oraſſet, 4. Reg. 20. quid mirum quòd idem ſol quaſi in luctu poſitus, lucem retraxerit, Eſa. 38. & tenebris dederit locum, vt ſicut olim Aegyptum contexerant, tunc terram contegerent, Pſal. 103. Porrò autem ſolem hìc tanquam perſonam fingit Poëta, quoniam & antiquis Deus maximus eſt habitus, & in perſona colitur. Totū hunc locum ſic extullit. lib. primo de partu virg. Sannaz.

Quod ſcelus eois vt primùm cernet ab vndis
Sol: indignantes retro conuertere currus
Optabit, fruſtráque ſuis luctatus habenis,
Quod poterit tandem, auratos ferrugine crines
Inficiet, mœſtámque diu ſine lumine frontem
Oſtendet terris: vt qui iam ploret ademptum
Authorem regémque ſuum: quin ipſa nigranti
Fratris ab ore timens, & tanto concita caſu
Cynthia, cœruleo vultus obnubet amictu,
Auertétque oculos, lacrymáſque effundet inanes.
At contrà horriſono tellus concuſſa tremore,
Cum gemitu fremet: & ruptis excita ſepulchris

Emittet simulachra. &c.

Notans ferrugine) Allegoria est à fabris signo aliquo sua opera notantibus. Ferrugo verò propriè est rubigo ferri. Similis est locus apud Virg. primo Georgic.

—— solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cœcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudémque, & operta tumescere bella.
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cùm caput obscura nitidum ferrugine texit.

Tu quoque) Varietas orationis per ἀποστροφήν. *Inferiásque tuo) id est, sacrificia quasi inferis persoluis propter Christum Tonantem passum, & hoc modo quia desinis apparêrre, ita vt apud inferos & Plutonem tuum videaris esse. Sunt autem inferiæ mortuorum sacra quæ manibus soluuntur, Virg. Aeneid. 10.*

Viuentes rapit inferias quas immolet vmbris.

Et Atossa mater Xerxis apud Aeschylum in tragœdia cui titulus est πέρσαι, *Dario regi Persarum marito suo fert inferias, quæ vmbris dicit esse placamina: sic enim ait*

—— τῷ παιδὸς πατρὶ πρευμενεῖς χοὰς
φέρουσ', ἅπερ νεκροῖσι μειλικτήρια.
Βοὸς τ' ἄφ' ἁγνῆς λευκὸν εὔποτον γάλα,
Τῆς τ' ἀνθεμουργοῦ στάγμα παμφαὲς μέλι.
Λιβάσιν ὑδρηλαῖς παρθένου πηγῆς μέτα.
Ἀκήρατόν τε μητρὸς ἀγρίας ἄπο
Ποτὸν παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος τόδε,
Τῆς τ' αἰὲν ἐν φύλλοισι θαλλούσης βίον,
Ξανθῆς ἐλαίας καρπὸς εὐώδης πάρα,
Ἄνθη τε πλεκτὰ παμφόρου γαίας τέκνα.

Prodij, inquit, sacratura vmbris Darij æternas inferias, Lac iuuencæ candidum, potu suaue, mel apis ex floribus suum opus facientis, cum laticibus aquëis fontis limpidißimi, & merum aqua non mixtum, fructúmque odoratum oliuæ flauæ, & omnis generis coronas. Tonanti) Tonans dicitur Deus. Ouid. 1. Metamor.

—— magni tecta Tonantis. Auratum) Solet hoc fieri in luctu & morte charißimorũ, vt capilli ponantur, & lacrymis defleantur quibus

carere antiquis miserrimum videbatur: Aeschylus ibidem, vbi Xerxes lacrymis prosequitur vires imperij Persici imminutas & labefactatas, dicit,

Καί μοι γενείου πέρθε λευκήρη τρίχα,
Καὶ ψάλλ᾽ ἴθειραν, καὶ κατοίκτιζε στρατόν. .i.

Vellica mea caussa pilos canos barbæ, & extrahe tibi cæsariem crinésque, atque lamentare exercitum. Et Virg. lib. 11. Aeneid. Et mœstæ Iliddes crinem de more solutæ. Solebant etiam antiquitus Hebræi in planctu & lamento sua dilacerare vestimenta, sicuti de Iacobo Gen. 37. legimus, quando illi à filis suis denunciata est mors charißimi filij sui Iosephi, & de Dauide in morte Saülis 2. Samuël. 1. alijsque permultis. Flauo) Ouid. lib, 2. Fast.
Forma placet, niueusque color, flauique capilli.
Vda) Virg. Aeneid. 2. —— & iam nox humida cœlo Præcipitat.

Nec minus abruptis fama est exisse sepulchris,
Pérque vias errasse nouis simulachra figuris:
Excitásque vmbras, medias vlulasse per vrbeis
Sub noctem, & notos questu impleuisse penateis.
Quid? non & pelagi rabies attollere fluctus
Immaneis visa est? monteísque euoluere aquarum,
Deiectura vrbeis, terrásque haustura profundo?
Cùm simul & caput vndisonis emersus ab antris
Cæruleus Triton rauco super æquora cornu
Constreperet, nautásque horrenda voce moneret,
Naturæ cecidisse patrem, Regémque, Deúmque.

NEC minus abruptis) Solebant enim tum corpora, tum cineres, si adureretur cadauer, vrnis condi. De hoc porrò naturæ prodigio in hanc sententiam à D. Matthæo scriptum est, Monumenta apta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, & exeūtes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem,

& appa-

& apparuerunt multis. Excitas) id est, expergefactas & valde commotas mortuorum vmbras. Greg. Theolog. χρισ. πάσχ.

—— ῥαγείσας πέτρας

Τάφους τε νεκρῶν εἶδες ἀνεῳγμένους. *idem* εἰς τὸ ζητ πάσχα νεκροὶ ἀνιστάμενοι εἰς πίστιν τῆς τελευταίας καὶ κοινῆς ἀναστάσεως.

Vlulasse) Translatio à lupis, vt ipso sono quid tristius appareat, Virgil. 1. Georg. —— *& altè*
Per noctem resonare lupis vlulantibus vrbes.

Penates) Dij domestici, quòd penes nos nati sint. Macrob. lib. 3. Satur. cap. 4. Penates esse dixerunt per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. Pelagi rabies) id est, mare commotum & iactatum. Canum propria est rabies, Cic. Hecubam putant propter animi acerbitatem quandam & rabiem, fingi in canem esse conuersam. Mare autem dicitur insanum, Te vel per ignes, per mare insanum sequar, dicit Phædra Hippolyto apud Senecam. & Medea apud eundem, Insanum tumuit mare, Virgil. Æneid. 5. —— *rabies cœlique, marisque, id est, intempestas. Montésque euoluere aquarum) Per translationem montes accipit pro excelsa magnitudine: de cuius ratione potest intelligi ex descriptione naufragij apud Virgilium 1. Æneid. & Ouid. 11. Metamorpho. vbi describit naufragium Ceycis.*

Haustura profundo) id est, absorptura. Sic Liuius decimo bel. Punic. Et in Veliterno agro terra ingentibus cauernis consedit. arboresque in profundum haustæ, id est, absorptæ. Virgilius quarto Georgicorum, & medium Sol igneus orbem hauserat. Cæterum vt altum mare dicitur Virgilio, sic profundum. Cicero in oratione pro P. Sestio, Iecissem me potius ipse in profundum. &c. Antris vndisonis) Sic Virgilius quarto Æneid. dicit æquor vndisonum. Cæruleus Triton) Sic apud Virgilium primo Æneid.
Cæruleus Triton placida caput extulit vnda.
Terent. in Andria per translationem dixit facile ex illis sese emersurum malis. De Tritonum miraculis, vide Alex. ab Alexādro, libro 3

Genialium dierum, cap. 8. Triton autem Deus marinus qui Neptuni tubicen esse fertur, cui mandat, vt receptui canat, fluuiósque in suos fontes reuocet. Cæruleus Triton, Ouid. 1. Methamor.

Hæ'ne manus vasti iunxerunt fœdera mundi?
Harum opus est quodcunque iacet, quodcunque mouetur?
Quicquid vbique parens rerum Natura gubernat,
Frugiferens tellus, fœtúmque animantibus æquor,
Vitalisque aër, atque ignibus æthra coruscis?
Et nunc (proh facinus quantum potuere nocentum
Flagitia) immissis dant peruia vulnera clauis,
Liuenteísque atro fœdant squallore lacertos.
Heu caput indignum spinis, venerandáque cœlo,
Et toties clara stellarum impexa corona
Cæsaries: heu pectus hians: conuulsáque dira
Barba manu: tunsíque artus: & frigida membra.

HÆ'NE manus) Commiseratio magnæ potestatis ruentis, Hæ ne sunt manus eius qui comprehendit ventos manu sua, conclusit aquas in vestem suam, fundauit fines terræ? Esa. 40. Súntne hæ manus quæ mensæ sunt aquas, cœlos ponderarunt, appenderunt tribus digitis molem terræ, & librarunt in pōdere montes & colles in statera? Hierem. 31. Mundi) Plinius ait mundum esse cuius circunflexu teguntur cuncta. Aristoteles ex partibus talem struit definitionem mundi, κόσμος μέν ἐστι σύστημα ἐξ οὐρανοῦ, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων——. hanc cōpagē Græci κόσμον ab ornatu appellauerūt, Latini mundū àp erfecta elegātia & admiranda partiū pulchritudine vocant. Æthra) Æthra pro splendore ætheris accipitur, & pro aëre ponitur. Virg. lib. 3. Aeneid.

Nam neque erant astrorum ignes, neque lucidus æthra
Syderea polus. hìc tamen videtur accipiendum pro æthere potius quàm pro aëre, eo quòd dixit ignibus coruscis, quod pertinet ad æthera assiduè rutilantem. Ouid. ad Cæsarem.

Sic ha

Sic habites terras vt te desyderet æther.

Est autem Aethra Latinè formatum ab accusatiuo Græco per syncopen, Cic.2.de Nat.Deorum, Aërem complexa summa pars cœli quæ æthra dicitur, & suũ retinet ardorẽ tenuem, & nulla admixtione concretum & cum aëris extremitate coniungitur. Nocentum flagitia) Nam propter peccata populi percussus est. Esaiæ 53. & vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum de muliere, factum sub lege, ad Galat.4. Lacertos) Ex brachij musculis qui lacerti dicuntur, brachia tota intelligenda sunt per synecdochen. Lactantius,

Cerne manus clauis fixis tinctósque lacertos.

Heu caput) Amplificatio ex colatione eorum qui iniuriam intulerunt, & ex modo iniuriæ illatæ: vbi affectus mouet. Sic Lactantius commemorans quæ in Christo visa sunt sublato in crucem,

—— en aspice crines
Sanguine concretos, & sanguinollenta sub ipsis
Colla comis, spinísque caput crudelibus haustum
Vndique diua pluens viuum super ora cruorem.

Vbi μετωνυμία est, qua ex effectis significatur causa. dicitur enim sanguis viuus non quia viueret, sed quia hominum generi vitam daturus esset. Et Sannaz. libro primo de partu Virg.

Cùm Patri æthereo moriens liuentia pandet
Brachia, turpatósque atra de morte capillos
Oráque, demissósque oculos, frontémque cruore
Iam madidam, & lato patefactum pectus hiatu.

Cæsaries impexa) Inornata propter spinas & sanguinem cæsaries. Cæsariatus miles, id est, comatus apud Plautum. Hians) Propter vulnus cordis lancea apertum. Tunsi) Fracti veluti maleis. Virgil. Aeneid.11.

Ingentem gemitum tunsis ad sydera tollunt
Pectoribus. Frigida) Propter mortem proximam.

Vósne pedes cœlum premere, & vaga sydera sueti,
Fulgenteísque domos Superûm, sublimia tecta,
Tam sæua immaneis perpessi cuspidis ictus,
Et terram, & duras sparsistis sanguine cauteis?

Nec trepidat mens cæca hominum? Quæ tanta tenaci
Durities in corde riget? num nigra videtis
Tartara, tot claris hominum viduata trophæis,
Desertásque in nocte domos, & tristia regna?
Feliceísque animas lætum Pæana canenteis
Ponè sequi Regem, & cœlo insedisse sereno?
Quid si non tantos subiisset sponte labores,
Humanámque sua pensaßet morte salutem
Ille sator rerum, & summi mens certa parentis,
Qui nutu ingenteis mundi moderatur habenas?
Vt tandem intactos picea Phlegethontis ab vnda
Post obitum æternæ donaret munere lucis,
In partémque suorum operum, regníque vocaret:
Tantus amor generis seruandi, & gloria nostri.

Vósne) Commiseratio ex dißimili fortuna. Nihil tam miserabile quàm ex beato miser. Fulgentes) Propter æternos astrorum ignes.
Cautes) Cautes duræ ex natura. Sic. Virg. 4 Aeneid.
—— sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus.

Nec trepidat) id est, homines obcœcati, nec agnoscentes Deum, non cõmouentur. Mens trepidat metu, Horat. 2. Carm. Ode 19. Num nigra) Argumentum à maiori ad minus, Quæ durißima sunt & naturam vt molliãtur non habent, mollescũt: ergo homines mollescere oportet. Viduata) propter patres limbo abductos. Dicit enim Dominus Ecclesiastici 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Scient quia ego Dominus, cùm contriuero cathenas iugi eorum, & eruëro eós de manu ipsis imperantium, Ezech. tricesimo quarto. Trophæis) Intelligit honores ex deuictis hostibus partos: morte enim sua mortem nostram necauit, & tyranni claustra effregit Dominus: vnde dicit Osee decimo tertio, & 1. Corinth. 15. Ero mors tua ô mors, & morsus tuus ô inferne. Sunt autem trophæa columnæ aut parietes erecti, in quibus quæ es-

quæ essent gesta aduersus hostem, describebantur: figebantúrque in locis eminentioribus. Vide Alex. ab Alex. cap. 22. lib. 1. Sic Fab. Aemilianus deuictis Gallis, ex candido lapide trophæū tulit. Marius de Iugurtha & Cimbris duplici trophæo est donatus. Quod & Flaminius de torquibus Gallorū aureum statuit. Metellus, deuicto Sertorio aureū sibi poni iussit. Octauius ex auro rostratæ columnæ in foro trophæum fixit,

Desertas) Sic Virg.

—— loca nocte silentia latè.

Lætum Pæana canentes) Hemistichium est Virgilianum, AEneid. 6. Est autē Pæan hymnus in Apollinem, sicut Dithyrambus in Bacchum, carmen quod canebatur quum intermitteret pestis: abusiuè autem pro omni Deorum laude ponitur. Ponè sequi) Sic Virgil. Aeneid. 2.

Ponè subit coniux: vbi Ponè est aduer. Quid si) ex antithesi, salus humana & mors.

Sponte) 1. Cor. 5. Qui non necessitate crucem, sed voluntate sustinuit. Greg. Theologus in Tragœdia Χριστοῦ πάσχοντος,

Ἐπεὶ δ' ἔκλινε καὶ μεθῆκ' ἑκουσίως
Ψυχήν. μόρου γ' οὔποτ' ἦν ὑπέρτερος,
Ἐμοὶ κελευσθεὶς εἶκε τῇ καρὸς κλίσει,

vt apud Homerum, Iliad. 10. ἐν καρὸς αἴσῃ, *pro* ἐν μοίρᾳ θανάτου, *vt exponit interpres, pro* κηρὸς*: nisi fortè hîc legendum sit* κηρός.

Sator rerum) In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Colossen. 2. Virgil. 1. Aeneid.

—— hominum sator atque Deorum.

Mens) i. Verbum quod declarat voluntatem Dei, cuius potestas, potestas æterna, quæ non auferetur & regnum non corrumpetur, Dan. 3. qui dominabitur à mari vsque ad mare & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.

Habenas) Translatio ab equis. Significat autem hîc potestatem & facultatem. Intactos picea) i. non demissos in tartara. Phlegethon fluuius infernalis flammis æstuantibus rapidus, à φλέγω *ardeo: vt ait Virgil. AEneid. 6.*

Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquétque sonantia saxa.

Tantus amor) Epiphonemate, id est, acclamatione præcedentia concludit, Tanta fuit dilectio Christi, tam singularis & admirabilis Dei nostri bonitas humanitásque, quam D. Paulus φιλανθρωπίαν appellat vt voluerit pati pro nobis, cum in eius ore non esset dolus, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, Esa. 53. & 1. Ioan. 3. & 1. Petr. 2. Qui propter nos egenus factus est cum esset diues, vt illius inopia diuites essemus, 2. Cor. 8.

Quare agite, ex animis mortales pellite vestris,
Si quid adhuc manet antiqua de sorde relictum:
Mendaceísque Deos, & detestanda priorum,
Sacra prophanatis tandem detrudite ab aris.
Imbuat effuso terram nec sanguine taurus:
Nec miser ille suæ diuulsus ab vbere matris
Ignotos agnus balet super hostia cultros.
Viuat ouis, viuat quicquid sub sole creatum est.
Mentem, animúmque Deo, non thura, aut exta parate.
Has illi pecudum fibras, hæc reddite dona.
Cernitis vt pronum flectat caput? vt pia pandat
Brachia? & ingratas vocet ad sua vulnera genteis?
Oblatásque viæ moneat meminisse relictæ?
Scilicet amplexus non reiecturus amicos.
At vos obtusas ignari auertitis aureis,
Infelix genus, & sæuæ ludibria mortis:
Nec, quanta à tergo iam instent tormenta, videtis.

QVARE agite) Exhortatio qua excitat mortales ad veram Dei obseruantiam. Cum in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longè, facti sitis propè in sanguine Christi, expurgate animos vestros, & procul ab omnibus terrenis affectibus, ad cœlestis vitæ amorem erecti,

dicatis

dicatis cum Paulo, Mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Antiqua de sordē) Intelligit culpam primi parentis quæ fluxit ad omnes: sed vbi abundauit peccatū superabundauit & gratia, Rom.5. Mendaceísque Deos) Superstitio gentium quoniam veri Dei notitiam non habebat, in varios ritus degenerauit, quosdam etiam prodigiosæ absurditatis, de quibus Virg. Aeneid.8.

Omnigenúmque Deûm monstra & latrator Anubis.

Lege D. Hieronymi commentarios in Esa. cap. 19. & 46. De his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt artificem, sed aut ignem, aut spiritū, aut celerem aërem, aut gyrum stellarum, aut violentam aquam, aut luminaria cœli, rectores mundi Deos putauerunt, Sapien.13. Trecentos Deos habuisse memoriæ proditum est à Varrone. Vide Suidam ἐν τῷ χαλκῷ. Nam lex diuina omnium cordibus insculpta dictabat aliquem habendum & inuocandum esse Deum: sed cum verum Deum ignorarent, subinde nouos pro suis commodis & affectibus excogitauerunt dæmones quos colerent. Imbuat) Sic Ouid. in Fastis,

Non boue mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est & sine teste fide.

Lactantius cap. 2. vbi agit de falsorum Deorum & veri Dei cultu, Mactant, inquit, opimas & pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tanquam sitienti: Leuit.16. & Heb.9. Si sanguis taurorum & hircorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnis purificationem, quantò magis sanguis Christi purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad seruiendum Deo viuenti? Miser) quia ante diem rapitur vixdum natus. Viuat ouis) Esaiæ 53. Tanquam ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & Hieremiæ 11. Ego autem sicut agnus innocens &, ductus ad victimam nesciebam. Hic agnus est, in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor linitus in postibus, exterminatorem fugabat AEgypti, Exod.12. Fibras) Pecudum fibræ, Virgil.10. AEneid. & Lactant. lib.6. Pecudum sanguis effusus, quo aras inquinant. hìc fibræ ponuntur pro extremitatibus iecoris cordis & intestinorum animātium, vel per synecdochen pro ipsis intestinis Cernitis) πάθος ex gestu Christi pendentis. habet autem indignationem hæc interrogatio.

Brachia) *Esaiæ 52. Consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem, parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Ad sua vulnera*) *Vnumquenque inuitat Dominus ad sua vulnera, Matth. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. At vos*) *Ex contrario vehemens repræhensio. Sæuæ*) *Quia æterna est. Sensus est, miseri qui non præuidetis mortem futuram, miseri, inquam, nisi Christo membra vestra crucifixeritis.*

Tempus erit, cùm vestra illum commissa notantem,
Multantémque reos, altáque in nube sedentem
Aspicietis: & horrenteis tremor opprimet artus.
Nec iam ferre oculos flammarum ardore coruscos,
Aut timidos acie vultus contendere contra
Audebit quisquam sibi conscius. Ibit in igneis
Turba nocens: fonteísque exsoluet corpore pœnas,
Pallenteísq; æternum amneis, vastásque lacunas
Cocyti colet: & furias horrescet hianteis.
Atque animum monitis non intendisse pigebit.
Tunc vos exactæ capient mala tædia vitæ
Experteis cæli, atque auræ sub nocte profunda:
Inq; caput trifidos nequicquam optabitis igneis:
Et frustra erectas tolletis ad æthera palmas.
Quos Superûm cœtus, & fortunata piorum
Agmina vix lacrymis poterunt spectare retentis,
Inuidiæ stimulis, dirísque vltricibus actos.

Tempus erit) ἔκπληξις. *Multantem reos*) *.i. pœnis afficientem nocentes. Videbitis sedentem filium hominis in dextra Patris. Ouid. 3. Metamor.*

—— attonitòs tremor occupat artus. Sic Sannazar.

libro primo de partu Virginis,

—— Sed tempus erit, cum Martia rauco
Mugitu cœlum quatiet tuba, cúmque repentè
Corpora per terras omnes latè omnia surgent.

Nec iam) Describit ex adiunctis, infelicitatem eius qui non se totum addixerit legi diuinæ. Ferre oculos) Quod irati signum est. Contendere) Translatio ab arcu aut cithara, cuius nerui quantò vehementius intenduntur, tantò vehementiorem efficiunt sonum. Audebit quisquam) Nemo enim nocens se iudice absoluitur. Non apparebunt coràm oculis tuis vani, Psalm. 5. Ibit in ignes) Dominus capite 25. Matthæi, prædicit sceleratos sociandos in tormentis gehennæ, diabolo & angelis eius. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque própria corporis prout gessit, siue bonum siue malum, 2. Corint. 5. De futura mundi conflagratione, horribilis est illa vox Petri Apostoli, 2. Pet. 3. Veniet autem dies Domini sicut fur in nocte qua cœli procellæ in morem transibúnt: elementa verò æstuantia soluentur, terráque & quæ in ea sunt opera exurentur. Cùm igitur hæc omnia soluantur, quales oportet esse vos in sanctis conuersationibus ac pietatibus, expectantes & accelerantes aduentum diei Dei, per quem cœli incensi soluentur, & elementa æstuantia liquescent? Pallenteis amnes) id est, inferos, & vt ait Lucret. lib. primo,

An tenebras orci visat, vastásque lacunas,

Lacunas) Seruius apud Virgilium lib. 1. Georg. ad illum versum,

Vnde cauæ tepido sudant humore lacunæ

appellat lacunas fossas, in quibus aqua stare consueuit. Videtur porrò hic esse ταπείνωσις quæ humili sermone magna recludit, vt illud,

Apparent rari nantes in gurgite vasto:

Lacunas enim vastas accepit pro fluuiis inferorum qui sunt quinque, Styx, Acheron, Lethe, Cocytus, Phlegethon. Aliquando Lacuna significat totum mare, ídque Græcorum poëtarum imitatione, qui sæpe λίμνας pro mari ponunt: in qua significatione Lucretius lacunas salsas appellat mare ipsum. Hiantes) quasi ad deuorandum. Furiæ sunt Alecto, Tisiphone, & Megæra, filiæ noctis & Acherontis, de quibus Cic. in oratione pro Roscio Amerino. Cocytus) à κωκύειν, quod est gemere & lamentari. De hoc scribit Seneca in Hercule furente,

Palus inertis fœda Cocyti iacet,
Hîc vultur illic luctifer bubo gemit.

Tunc vos) id est, pœnitebit vitæ turpiter actæ, sed sera nimis erit pœnitentia. Sub nocte profunda) id est, sub morte, apud inferos, vbi perpetua est nox. Sic enim nox Poëtis pro morte accipitur, vt apud Catullum, in Epigram. ad Lesbiam

Nobis, cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda. & Propert.
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Quemadmodum & Græcis νὺξ dicitur χάλκεος ὕπνος. est, n. vt docent Homerus & Virgil.—— consanguineus lethi Sopor. Sed & Orpheus ad Somnum,

αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς λήθης θανάτου τε. *Virg.*
Olli dura quies oculos & ferreus vrget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem
Lucretij ——— vnus Homerus,
Sceptra potitus, eadem aliis sopitum quiete est,
Horatius, Ergo Quintilium perpetuus sopor vrget?

Inque caput) .i. frustra vobis imprecabimini. Trifidos) .i. trisulcos, à tribus partibus findentes, vt Græcis dicitur πῦρ τριγλώχιν. Flamma trifida fulmen, Ouid. 2. Metamor.

Cæterum trifidos ignes dixit per ἀμφορέαν *pro fulmine, à triplici eius potestate, quemadmodum & trisulcum dicitur Virgil. & Senecæ in Hippolyto,*

Nec trisulca mundus ardescit face.

Tria fulminũ genera enumerat Plin. lib. 2. sicca, quæ non adurunt sed dißipant: humida quæ infuscant, non etiam vrunt: tertium est quod clarum vocant, mirabilis quidem naturæ, quippe quo dolia exhauriantur intactis operimentis. Quos) Exaggeratio futuri supplicij, à commiseratione etiam beatorum. Dirisque) id est, infestatos furiis quæ diræ dicuntur & vltrices siue vindices facinorum & sceleris, vt est apud Virgil. lib. 6 Aeneid.

Sic piorum impiorúmque facta collatione, demonstrat Dauid Psal. 1. felicitatem illorum, contráque quæ supplicia impios maneant.

—— supremi iudicis cum venerint

Tribunal

Tribunal ad iustissimum,
Causa cadentes, à bonorum candida
Turba procul miserrimi
Trudentur ima in tartara: quoniam Deus
Mores piorum diligit:
At turpiter qui vitam agit, cruciatibus
Hunc sempiternis afficit.

Ergo vitaleis miseri dum carpitis auras:
Dum compos mens ipsa sui est: dum certa facultas:
Dum ratio, tempúsque sinunt: simul ite frequentes:
Ite pij, veniam factis exposcite vestris:
Ite, animos purgate: Orcíque inhibete rapinas:
Et tandem patrio mentem conuertite cælo.
Sic rex ille hominum vacui spoliator Auerni,
Oblitus scelerum, cognatæ stirpis amore,
Promissique memor, menteis intrabit amicas:
Vestráque posthabitis recolet præcordia templis.
Pósque tot exhaustos vitæq; obitúsque labores,
Illo quo pluuias, quo pellit nubila vultu,
Ablutos labe excipiet, lætúsque reponet
Sydereos inter proceres, sanctúmque senatum,
Sub pedibúsque dabit stellantia cernere claustra.

Ergo) *Vniuersæ cohortationis complexio disputatis antecedentibus concluditur.* *Auras*) *Sic Virgil.* 1. *Aeneid.*

——si vescitur aura
Aetherea, nec adhuc crudelibus occubat vmbris.
& eodem libro,
Quisquis es, haud, credo, inuisus cœlestibus auras
Vitales carpis, &c.

Ite, animos purgate) q. d. *verbo Dei abluite conscientias vestras, & mundi estote, mysterium crucis in pectore conditum gestate, im-*

mensa beneficia immensis laudibus celebrate. Orci) Plutonis, Ditis: Sic dicti ab vrgendo, quòd ad mortem vrgeat. Patrio) Cœlum Patrium appellatur, quia animus ex cœlesti domicilio veluti à patria in terras depressus est, & hic tantum agit tanquam peregrinus.

Vacui) Vacuum auernum dixit pro inferis vacuis, ex parte totum significans. Vacuum autem, vel propter eos quos eduxit, vel quòd vmbræ sunt tantùm nullum occupantes locum, quia tenues & incorporeæ. Claudian. primo de raptu Proser. auernum etiam vacuum vocat.

Cognatæ stirpis) Quia factus est homo, & serui formam accepit. Recolet) Nullum enim sanctius gratiúsve Deo templum, quàm homo bene præparatus & expurgatus vitiis. Exhaustos) Translatio à poculis quæ hauriendo vacuantur & ebibuntur. Liuius libro quinto ab Vrbe, Cum tantum laboris exhaustum sit. Illo quo pluuias) Hoc ex imitatione Virgilij, primo AEneid.

Olli subridens hominum sator, atque Deorum,
Vultu quo cœlum tempestatésque serenat.

Ablutos labe) Alludit ad morem antiquorum, qui solebant grauissimis etiam criminibus polluti, fluuio se abluere. Sic Orestem pollutum cæde materna, Iphigenia in Tauris apud Euripidem, se vnà cum simulachro Dianæ quod eius aduentu etiam contaminatum videbatur, aqua marina expiare atque lustrare velle ad Thoantem dicit, et inter cætera hunc versiculum profert,

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. *i.*

hominũ vniuersa proluit pelagus mala. Vide apud Macr. ca. 1. lib. 3. Saturnaliorum. & Eras. in prouer. Mare proluit omnia mortalium mala.

Sub pedibúsque) i. stellas etiam ipsas faciet vobis inferiores, quas perpetuò spectare possitis. Sic apud Virgilium in Daphnide,

Sub pedibúsque videt nubes & sydera Daphnis.

Et Sannaz. lib. 1. de partu Virg. —— stellas numerare licebit
Surgentémque diem pariter, paritérque cadentem
Sub pedibus spectare, & longos ducere soles, &c.
& Lactan. —— aciésque beatas
Sanctorum inspiciens, æternæ pacis amœna
Perpetuò fœlix mecum regnabit in aula.

FINIS.